

Christo dato ipsi satis facere possent, nisi per scripta sua id facerent? Imo quomodo caelestis patris caelitus delata voci, hunc audite Mat. 17, 5. ad quam gravissima comminatio pertinet Deut. 18, 19. obtemperare possemus, si Christi verbum in Scripturis amplius non sonaret? Peccant ergo gravissime, qui Scripturam mutam & mortuam appellant literam, quod Pontificij & Enthusiatarum cohors vult, quasi demum per Pontificem aut raptus animanda sit, quae à Deo, qui ipsa vita, accipit, ut sit vivus & efficax sermo, penetrabilior omni gladio ancipiti Heb. 4, 12. Vocem ergo supremi iudicis in hisce agnoscimus literis & verbis, quibus cum iudicium condemnationis Joh. 2, 48. adscribatur, discretionis quoque merito eidem à nobis rectè relinquitur; qui enim hic illud assequitur, quod illic in extremo die ultima sententia erit, is à beatitudine aberrare non poterit.

XXIV. Eandem vocem folam in negotio salutis jam agnoscimus, cum varii illi revelationis divinae modi jam sint sublati, nec immediatè Deus cum hominibus amplius loquatur, & omne consilium Dei de nostra salute jam patefactum sit. Act. 20, 27, ut ita alijs porro revelationibus, quae & ultima quoad dignitatem conferri non possent, opus non sit. Unde in ipso nostro Evangelio ter ad Scripturam remittimur; & haec Lydiae lapidis, angelicae etiam apparitionis probandae, hic ostenditur; à quo si revelatio etiam ab Angelo facta discedit, anathema ei dicendum ex Gal. 1, 8. Cumque durantibus adhuc extraordinarijs revelationibus, & Christo ipso, in carne praedicante, ad Scripturam remittamur Ioh. 5, 39. Luc. 16, 29. 31. Et. 8, 20. quanto magis ad illam nunc unice respiciendum nobis erit. Absit ergo ut Pontificem, somnia, nostram rationem & imaginationem, Scripturae iungamus, nedum praeferamus.

XXV. Hoc interim non negabimus, posse adhuc Deum in negotio salutis temporalis; extraordinariè agere & nostro seculo non desunt exempla miraculose à Deo de periculis monitorum vel ab iisdem ereptorum. Simonis Grynaei è A. 1529, Spirensibus
comitijs